

tacita, vel expressa si ita est, seu, si preces veritate nitantur, consequenter, si hæc conditio, seu clausula non adimpletur, seu si allegata causa non verificatur tempore, quo dispensatio fit, aut fieri deberet, delegatus valide dispensare nequit. Nec refert, quod prius tempore nempe sollicitationis, et gratiæ a Papa concessæ jam extiterit: tum obrationem datam: tum quia cessante causa finali cessat mandatum c. *Si pauper de Præbend.* in 6.

222. *Doctrina practica inde deducta.* — Infertur cum doctoribus allegatis, in sequentibus ac similibus casibus delegatum nec licite, nec valide dispensare posse, et si dispensat, dispensationem, ac matrimonium nullum fore. 1. Si puella, quæ ob defectum dotis petiit et obtinuit Romæ dispensationem, postea, sed antequam delegatus dispensavit, alia via, donatione v. g. hæreditate etc., sufficientem obtinuit dotem, prout jam dictum est supra n. 90. 2. Si lis super re magni momenti, ob quam Romæ impetrata fuit dispensatio, plene terminata fuit ante dispensationem ab ordinario factam, 3. casu, quo ex causa angustię petita ac etiam obtenta est Romæ dispensatio, si ante ejus executionem a delegato factam, æqualis vir mulierem pro matrimonio expetiit.

223. *De facto non Papa, sed ejus nomine ordinarii dispensant ex speciali mandato.* — Altera pars conclusionis, videlicet, quod sufficiat verificari causam motivam tempore, quo delegatus actu dispensat, etsi tempore, quo sollicitata, et romæ impetrata fuit gratia dispensationis, nullatenus extiterit, nec vera fuerit, docetur a Pyrrh. Corrad. in *Præci dispensat.* lib. VII, cap. vi., numer. 24. allegante modernum stylum curiæ et 25; Garcia, *de Benef.*, p. 6, cap. II, numer. 283, et aliis. Ratio est; quia juxta dictum modernum stylum curiæ, Papa, vel curia romana ipsamet non dispensat, sed tantum dat mandatum, ut delegatus dispenset, sub conditione, et clausula, si ita est, seu si preces veritate nitantur; ergo si delegatus pro tunc, quo dispensare vult, reperit, rem de facto, seu de præsentī ita se habere, et causam revera existere, consequenter preces hoc tempore, quo vera dispensatio fit, omnino niti veritate, conditio et clausula perfecte impleta habetur, consequenter nil impedit, quin dispensatio fieri queat, et facta subsistat. Cum Papa aliud non requirat, quam ut preces veritate nitantur, antequam dispensetur, quod evenit in casu nostro.

224. *Est distinguendum inter mandatum de dispensando, et inter ipsam dispensationem.* — Dices; hæc conclusio videtur aperte militare contra sacros canones; ubi dispensationes nullæ declarantur, casu quo causa motiva vel nunquam, vel non amplius extitit tempore datæ, seu quo gratia dispensationis Romæ concessa fuit, ut patet ex c. *Quia circa. de Consang. et Affinit.* et c. *si eo tempore de Rescript.* in 6. Resp. Hos et alios canones loqui de tempore antiquo, quo Papa, vel curia romana nulli alteri mandatum dispensandi committens ipsemet perfecte, et complete dispensabat; quo tempore utique debuit vere existere causa; sicut eam modo existere debere dicimus tempore, quo nomine Papæ dispensat ordinarius, vel alius delegatus. Aliter autem res se habet tempore moderno, quo, ut sciunt practici et docet notorius stylus, dispensationes complete, seu in forma gratiosa, uti vocari solent, non amplius fiunt, sed committuntur ordinariis, ut ipsi habita sufficienti informatione et cognita precum veritate saltem tunc, quando actu dispensandum erit, re ipsa, et actu dispensant.

225. *Solvitur objectio.* — Hinc merito conqueritur Corrad., loc. cit., quod doctores non distinguentes tempus, nec stylum antiquum a novo, et mandatum de dispensando confundentes cum actuali dispensatione decipiantur.

226. *Facta semel per delegatum dispensatione non requiritur, ut causa adhuc daret, dum contrahitur matrimonium.* — Instabis, si tempore, quo Romæ expediuntur dispensationis litteræ, non existit causa dispensandi, non est credibile, quod Papa intendat dispensare, cum, si sciret, eam non existere, profecto non dispensare; præsertim quia fraudem oratorum deprehenderet, quam semper abhorret, et ea concurrente nunquam censetur dispensare: textu claro c. *Super litteris.* 20. *de Rescript.* Resp. Negando totum argumentum, vel suppositum; quia uti jam dictum est, etsi Papa sciret, tempore suæ expeditionis allegatam causam dispensandi non subsistere, tamen, si simul sciret, eam eventuram ante actualem dispensationem a delegato faciendam, et ad id reflexisse oratores, indeque a fraude esse alienos, omnino concederet mandatum de dispensando teste stylo per Corrad. allegato.

227. *Ponitur et solvitur objectio.* — Resp. IV. Non requiritur, ut dispensationis causa

finalis, seu motiva verificetur, et existat, seu perduret adhuc, quando matrimonium contrahitur, sed sufficit, quod tempore dispensationis a delegato factæ extiterit; etsi post illam, et adhuc ante matrimonium cesset, vel evanescat. Pontius, *de Matrim.* lib. VIII, cap. xxii, n. 4; Guttierrez, *de Matrim.* 126, n. 2; Sylvester, *ŷ. Dispensatio*, q. 41; Justus, lib. III, cap. I, n. 82, cum communi aliorum contra Sanchez, lib. VIII, disp. 30, n. 14. Probatur conclusio partim ex conclusione præcedenti: partim ratione, videlicet, quod post factam a delegato executionem, seu actualem dispensationem, gratia dispensationis jam sit perfecta et completa in ablatione vinculi, seu impedimenti; atqui hujusmodi vinculum et impedimentum semel ablatum non amplius reviviscit, arg. c. *Ex tua, de Filiis presbyter.* juncta Glossa ibidem *ŷ. Irritari, et Regula 73, Juris* in 6. « Factum legitime retractari non debet, licet casus veniat, in quo non potuit inchoari; » quam regulam regulariter procedere, quando actus fuit perfectus et consummatus, passim fatentur doctores consequenter etiam dispensatio semel perfecta et completa, superveniente casu non retractatur, nec impedimenti vinculum semel ablatum amplius redit.

228. Dices cum Sanchez et ei adherentibus: cessante causa cessat effectus c. *Cum cessante de Appell.* ergo pariter cessante causa finali, et motiva, cessat privilegium, a. g. c. *Suggestum de privilegiis*, juncta Glossa ibidem: *Hinc, l. 1, ff. de Condit. sine causa* dicitur: « Paria esse, sive ab initio sine causa promissum est, sive ea postea desierit, ut conditioni locus sit. » Confirmatur: « Actus non operantur ultra intentionem agentium. » arg. c. *fin. de Præb.* atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacite intellecta, dummodo causa permaneat; nam alioquin male dispensasset, si voluisset dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa prorsus cessaret. Confirmatur ulterius, et quidem a pari: quia dispensatio comedendi carnes in quadragesima propter specialem infirmitatem cessat, cessante postmodum illa infirmitate; ergo idem dicendum in proposito.

229. Verum respondetur; et quidem ad illam regulam, cessante causa cessat effectus, dicitur, eam procedere, quando effectus necdum plene perfectus, et consummatus

est; secus quando est plene perfectus et consummatus, uti in proposito; ubi per præviam dispensationem vinculum impedimenti matrimonialis est penitus sublatum.

Ad textum juris respondetur, id esse speciale in casibus illis, in quibus ea est intentio principis, ut cessante causa cesset effectus; quod non fit in proposito, ut bene advertit Perez. Ad confirmationem negatur minor: nam ad hoc, ut dispensans non dicatur male aut inique dispensare, sed potius dispensatio censeatur valida, sufficit preces seu causam dispensationis fuisse verificatam tempore actualis dispensationis per ordinarium, vel alium delegatum auctoritate papali factæ. Includi vero tacite illam conditionem, dummodo causa perduret, tanquam gratis dictum negatur.

230. Ad alteram confirmationem negatur paritas inter dispensationem carnes in quadragesima comedendi, causa infirmitatis, et inter dispensationem super impedimento matrimonii. Nam dispensatio illa prior habet tractum successivum, simulque sicut jejunium quadragesimale virtute multiplex est, et singulis diebus, quasi novam obligationem inducit, ita et dispensatio illa multiplex est; ac proinde non mirum, quod cessante causa infirmitatis, pro reliquis diebus cesset etiam ipse refectus. Secus fit in dispensatione super impedimentis matrimonii, utpote quæ non habet tractum successivum, sed statim tota simul conceditur, et habet quasi effectum indivisibilem, tollendo ipsam inhabilitatem, seu impedimentum.

§ VI.

DE SUPPLICATIONE PRO OBTINENDA DISPENSATIONE QUOAD FORUM EXTERNUM FORMA ORDINARIA SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONII, ET DE FORMULIS HUIUSMODI SUPPLICATIONUM.

231. *Dispensationes aliæ petuntur, et conceduntur pro solo interno, aliæ etiam pro externo, seu utroque foro; aliæ in forma pauperum, aliæ in forma ordinaria.* — Notandum prius, dispensationes super impedimentis matrimonii alias sollicitari, et expediri pro foro externo, seu potius pro utroque foro tam externo nempe, quam interno: alias vero pro solo foro interno, quando videlicet impedimentum est occultum, affinitas v. g. ex copula fornicaria proveniens, vel impedimentum criminis. Pro foro externo aliæ pe-

tuntur, et conceduntur in forma pauperum, aliæ in forma ordinaria.

232. *Pro foro externo non in eodem loco, sed diversis expediuntur: et ubi? Dataria, cancellaria et præfectura brevium quas dispensationes expedit?* — Porro quæ pro foro externo petuntur, et conceduntur, non in eodem, sed diverso loco, et per diversos officiales Romæ expediuntur: Aliæ enim expediuntur in dataria (quæ etiam officium minoris gratiæ appellatur) per officiales illius: et quidem omnes: et solæ illæ, quæ in remotioribus gradibus videlicet, in quarto, vel tertio, et quarto petuntur, sive dein ab uno, sive a diversis stipitibus proveniant.

Aliæ expediuntur in cancellaria, illæ scilicet omnes, et solæ, quæ in tertio, vel secundo et tertio, sive ex uno, sive pluribus stipitibus communibus proveniunt.

Aliæ expediuntur in præfectura brevium, et sub annulo piscatoris, illæ nempe omnes, et solæ, quæ petuntur in primo affinitatis, vel primo et secundo, vel in primo et tertio, vel primo et quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu. Corrad. in *Praxi dispensat.* lib. VII, cap. IV, n. 6; Justis, de *Dispensat.* lib. I, cap. III, a n. 13.

233. *Pro solo foro interno petuntur, et conceduntur in sola pœnitentiaria.* — Quæ pro solo foro interno super impedimento occulto petuntur, expediuntur a sacra pœnitentiaria, quæ super quovis impedimento dirimente, jure ecclesiastico, legitima existente causa dispensat, tam ante, quam post contractum matrimonium, excepto impedimento consanguinitatis, super quo ante contractum matrimonium nunquam, bene vero post contractum dispensat, si tamen primum et secundum gradum ejusdem excipias, ut post Filliuc. tract. X, p. II, cap. x, n. 351, de quo magis infra § 9.

234. *Quid juris, si quis laborat duplici impedimento publico nempe, et occulto?* — Quando contingit, oratores pluribus laborare impedimentis, quorum unum, aut plura sunt occulta, et alia publica, petitur, et expeditur dispensatio super occultis in pœnitentiaria, super publicis vero in dataria, vel cancellaria, vel præfectura brevium pro diversitate nempe graduum modo supra a n. 232, allegato H. N.

235. *Pro impetranda dispensatione debet fieri supplicatio in scriptis.* — Quæritur I. An certa aliqua supplicationis forma, seu modus? et qualis sit necessarius, si super

impedimento matrimonii publico, pro externo foro petitur dispensatio in forma ordinaria: quænam item in ea exprimi debeant? Et quomodo? Resp. I. Omnino necessarium est, ut supplicatio fiat in scriptis debito modo, alias non conceditur dispensatio. Corrad. lib. VII, cap. IV, n. 6. Et lib. II, cap. I, n. 23; Justis, lib. I, cap. III, n. 4, ita jubente stylo curiæ.

236. *Et quidem in lingua latina.* — Resp. II. Supplicatio debet concipi latino idiomate, et quantum fieri potest verbis propriis in curia usitatis, ac sine ambagibus, superfluis ceremoniis, simpliciter, sine quæsito ornatu dictionis, aut verborum. Corrad. cit. lib. II, cap. I, a n. 24; Justis, loc. cit. a n. 2, et alii. Ratio de lingua latina est, tum quia hæc est dignior cæteris. Tum, quia est propria, naturalis, et materna Romanorum. Mandos. ad *Regul. Cancell. Reg.* 80, de *Idiomate*, q. 10, a n. 4. Tum, quia hæc lingua censetur communis omnium nationum, et cæteræ accidentales, ob quod Roma, cum sit communis patria l. *Roma. ff. de Municip.* ut ab omnibus intelligatur, eam assumpsit.

237. *Verbis propriis, usitatis, claris, et sine ambage, superfluitate, et quæsito ornatu.* — Claritas quoque, proprietates, et simplicitas adeo est necessaria, ut si verbis inusitatis, obscuris, vel ignotis, et peregrinis utantur oratores, supplicatio dilacerari soleat, uti ex praxi bene advertit Corrad. cit. lib. II, cap. I, n. 30. Estque conforme juri communi, c. *Nuper a nobis, in fine de Donat. inter virum et uxorem.*

238. *Quenam in supplicatione exprimi debeant?* — Resp. III. In supplicatione debent exprimi, quæ § 4, diximus et in compendio repetivimus n. 203, videlicet I. Nomen, et cognomen oratorum. II. Nomen diœcesis. Non item locus oratorum, nisi propter angustiam petatur dispensatio, vel ob locum ad littus maris per dicenda infra.

239. *Qualiter supplicatio formanda? Remissive.* — Quæritur II. Quomodo in praxi supplicatio formari, et qualiter exprimenda exprimi debeant? Resp. Ut clare, et pro faciliiori captu, simulque pro majori commoditate pateat ad hoc quæsitum, exhibetur imprimis integra et continua copia alicujus supplicationis. Dein fit discussio illius intermixtis diversis causis, ob quas petitur dispensatio, diversisque impedimentis, super quibus petitur, adjuncta ubique praxi quævis rite proponendi, ipsam dispensationem

debite petendi, sicut et diversis personis, pro quibus petitur.

240. *Forma supplicationis.*

Formula supplicationis pro dispensatione super impedimento consanguinitatis in tertio, et quarto, ex causa defectus competentis dotis.

« Beatissime Pater.

« Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius oratorum Francisci N. laici, et Claræ N. diœcesis Frisingensis; quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator cum dicta minus competente dote oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio, et quarto a communi stipite provenientibus gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hæc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter Sanctitati Vestræ oratores præfati, quatenus cum eisdem oratoribus, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, dispensare; distantiam vero tertii gradus non obstare declarare, prolemque suscipiendam exinde legitimam nuntiare dignemini de speciali gratia. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. »

Hæc est consueta verbis propriis, ac in curia usitatis, et absque ullo superfluo concepta supplicatio, ad ejus normam etiam reliquæ mutatis mutandis, præsertim causis, et impedimentorum speciebus, simulque additis necessariis formari debent. Quod ut facilius et commodius fieri a quovis valeat, membratim denuo adducimus, et discutimus præfatam supplicationem, addendo varias dispensationis causas, variaque impedimenta, super quibus dispensatio fieri solet; et praxin, qua cuncta proponi debent.

241. *Inscriptio supplicationis pro foro externo fit Papæ, qui etiam, et non alius dispensat.* — Quæritur III. Qualiter supplicatio in-

choari, et nomina oratorum ac diœcesis exprimi debeant? Resp. Quævis supplicatio pro foro externo incipit: Beatissime Pater; quia non inscribitur summo datario v. g. sicut inscribitur summo pœnitentiario, quando petitur dispensatio pro foro interno, sed ipsi Papæ, sicut nec datarius, vel alius officialis, sed ipse Papa dispensat, licet per manus officialium transeat, uti bene notat Corrad. lib. II, cap. I, a n. 30.

242. *Praxis incipiendi supplicationem, exprimendi nomina oratorum.* — « Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius oratorum Francisci N. laici et Claræ N. etc. »

Sic præmisso Papæ titulo incipit quævis supplicatio pro foro externo, addito dein proprio nomine, et cognomine utriusque, quod inevitabiliter debet exprimi simulque exponi, an sit laicus, vel clericus v. g. laici.

243. *Exprimi debet diœcesis, et quomodo?* — Deinde exprimitur nomen diœcesis oratorum: quod si sint diversæ diœcesis, utriusque expressio fieri debet juxta dicta v. g. « Antonii laici, diœcesis Frisingensis, et Rosæ mulieris diœcesis Eistetensis. » Et si petitur dispensatio ob angustiam loci, subjungitur etiam locus oratricis v. g. « ex oppido Tolzensi ortæ, vel ororum. »

244. *Explicatis nominibus oratorum, et diœcesis exprimitur dispensandi causa, et quomodo?* — Quæritur IV. Quomodo in praxi proponantur causæ dispensandi? Resp. Explicatis nominibus, et diœcesi oratorum ut supra, illico adducitur legitima dispensandi causa, addito desiderio, quod cupiant invicem copulari: idque exponi incipitur illis verbis; quod cum, etc. vel quod, etc. ut statim magis patebit ex causis specificis. Ut autem appareat, qualiter quævis dispensandi causa juxta stylum curiæ rite proponi queat, et debeat, subjungimus praxin rite exponendi quamlibet dispensandi causam ex dictis a n. 69.

245. *Praxis proponendi causam, prærogativæ, regiæ, aut principis personæ.* — Praxi proponendi « prærogativam regiæ, aut vero principalis personæ » de qua cit. n. 69.

« Quod, cum oratores de regio, vel magnorum principum, de Ecclesia optime meritorum stemmate existant, et matrimonialiter invicem copulari cupiant, sed quia, etc. vel quod cum oratores de regio, au magnorum ducum stemmate existant, et valde expedit pro bono communi, ut orator ora-

trici, et non alteri nubat; cupiunt invicem matrimonio copulari. Sed quia, etc.»

246. *Praxis proponendi causam*, ob conservationem familiæ, ne deficiat. — Praxis proponendi causam « ob conservationem familiæ, ne deficiat, » de qua n. 70.

« Beatissime Pater,

« Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devoti oratoris Bonaventuræ N. clerici diaconi, vel sacerdotis, vel religiosi, etc. diœcesis N. quod, cum ipse de illustri, et vere nobili, vel nobilissima, et antiquissima familia videlicet N. existat, præfataque familia sine omni masculo hærede, oratore solo superstite, decesserit, consequenter nisi ipse nubat, totaliter deficiat, cuivis tamen conservatio pro bono communi faciat, matrimonium inire intendit. Sed quia, etc. »

247. *Praxis proponendi causam*, ut bona conserventur in familia. — Praxis proponendi causam ob conservationem bonorum in familia, vel ipsius familiæ in suo splendore, de quo cit. n. 70, §. *Huc reducunt.*

« Quod cum nobilis familia N. sine masculo hærede in sua linea decedens solam oratricem pro universali hærede reliquerit, et oratrix oratori, qui alias de eadem familia, licet diversæ lineæ, existit, ut bona conserventur in familia, matrimonialiter copulari intendit. Sed quia, etc. »

« Vel cum oratores de illustri familia videlicet N. existant, valdeque expediat pro conservatione illius in suo splendore, ut oratrix oratori, et non alteri nubat, cupiunt matrimonialiter copulari. Sed quia, etc. »

248. *Modus proponendi causam*, ob excellentiam meritorum. — Praxis proponendi causam ob excellentiam meritorum, de qua n. 71.

« Quod dictus orator, qui de nobili genere existens in bello turcico contra fidei hostes per decem annos sub augustissimo imperatore N. inservivit, et plura vulnera recepit, cupit cum oratrice matrimonialiter copulari. Sed quia, etc. »

Pariter possunt alia merita etiam majorum adduci.

249. *Causa si allegatur extinctio litis, quomodo proponenda?* — Praxis rite proponendi causam n. 72, propositam, quæ est extinctio litis.

« Quod, cum inter dictos oratores, vel eorum parentes, aut consanguineos graves lites super rebus magni momenti ortæ sint, et ad præsens vigeant; aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter dictos oratores provenientes, ante illius tractatum exortæ; certumque sit, quod si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, pro illis igitur componendis cupiunt matrimonialiter invicem copulari. Sed quia, etc. »

250. *Gravis inimicitia pro causa quomodo proponatur?* — Praxis rite proponendi causam n. 73, propositam, quæ est gravis inimicitia.

Proponitur hæc causa eodem modo, ut prior, solo mutato, quod loco graves lites, ponatur graves inimicitia.

251. *Confirmatio, vel conservatio pacis tanquam causa qualiter proponenda?* — Praxis rite proponendi causam n. 54, allegatam, quæ est confirmatio, et conservatio pacis.

« Quod cum inter oratorem, et oratricem, vel eorum parentes, vel consanguineos, graves inimicitia vigerint, aliunde tamen, etc. ut supra n. 249, et licet pax inter eos de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiant matrimonialiter copulari. Sed quia, etc. »

252. *Evitatio scandalorum tanquam causa qualiter proponatur? Remissive.* — Praxis rite proponendi causam n. 75, allegatam quæ est evitatio scandalorum.

Hæc causa, quamvis in variis, tamen potissimum procedit, quando intervenit copula, vel matrimonium jam est contractum, de quibus vide infra n. 260 et n. 265.

253. *Angustia loci pro causa quomodo alleganda?* — Praxis rite proponendi causam n. 76, allegatam quæ est angustia loci.

« Quod, cum dicta oratrix in dicto loco (qui prius exprimi debet juxta dicta n. 243) propter illius angustiam virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; cupiunt oratores matrimonialiter invicem copulari. Sed quia, etc. »

254. *Et quomodo cum clausula etsi extra.* — Hæc causa subinde ponitur etiam cum nota clausula etsi extra, quæ quidem licet necessaria non sit ad impetrandam dispensationem super tertio, vel tertio et quarto, tamen videtur necessaria, vel certe valde expediens ad dispensationem obtinendam super secundo et tertio, vel quarto gradu,

si sola angustia loci, et nulla alia causa proponatur, ut bene advertit Corrad. lib. VII, cap. II, n. 11. Proponitur autem sequenti modo:

« Quod, cum dicta oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere posset, invenire valeret. Cupiunt, etc. »

255. *Defectus dotis pro causa qualiter proponatur? Præsertim si orator vult augere dotem.* — Praxis rite proponendi causam n. 81, allegatam, quæ est defectus competentis dotis.

Hæc praxis jam patet ex formula supra n. 240, allegata. Notandum tamen, quod, si vir fœminam cum minus competente dote oratricem non tantum accipere, sed etiam dotem illius juxta qualitatem oratricis augere vult, dispensatio facilius etiam in minus remotis gradibus videlicet secundo et tertio acquiri valeat, uti ex stylo bene observat Corrad. lib. VII, cap. II, n. 37. Tunc autem ita proponitur causa.

« Quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere, illiusque dotem usque ad quantitatem, secundum dictæ oratricis qualitatem competenter augere intendat. Sed quia, etc. »

256. *Quomodo proponatur, si puella omnino est indotata?* — Si puella est omnino indotata, adhuc facilius, et pro nobilibus etiam in secundo; item primo et secundo gradu obtinetur dispensatio. Causa autem tunc ita proponitur.

« Quod, cum dicta oratrix indotata existat, et dictus orator sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum dictæ oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat; » quo casu tamen dispensationem delegatus executioni mandare non potest, nisi prius orator oratricem actu dotaverit: ob quod etiam inseritur dispensationis litteris clausula, » si, et postquam dicta oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur. »

v.

257. *Et quomodo si non ipse orator, sed alius dotem augere, vel indotatam dotare vult, cum conditione, ut oratori nubat?* — Quod, si non ipse orator, sed alius incompetentem dotem puellæ augere, vel eam indotatam ex integro dotare velit cum conditione, ut nubat oratori; proponitur causa sequenti modo.

« Quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem; juxta status sui conditionem, cum qua virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; et quidam oratorum consanguineus (vel bonus amicus) ad id alias non obligatus oratricis dotem, ita tamen, ut oratori nubat, et non alias usque ad quantitatem, secundum ejusdem oratricis qualitatem competenter augere, dictusque orator illam cum dicta minus competente dote, et illius augmento in uxorem ducere intendat. Sed quia, etc. »

Si indotatam alienus etiam ex integro dotare velit, proponatur juxta n. 256, et immediate præcedentem mutatis mutandis.

258. *Ætas mulieris pro causa quomodo proponenda?* — Praxis rite proponendi causam n. 92, allegatam, quæ est ætas mulieris, 24 annorum.

« Quod, cum dicta oratrix vigesimum quartum annum, et ultra suæ ætatis agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenus non invenit. Cupiunt oratores, etc. matrimonialiter copulari. Sed quia, etc. »

259. *Locus ad littus maris pro causa qualiter proponendus?* — Praxis rite proponendi causam n. 69, allegatam, quæ est locus ad littus maris.

Exponitur circa hanc causam præter locum diœcesis, etiam locus oratorum, uti in angustia loci, dein causa ita proponitur.

« Quod, cum dictus locus ad littus maris existat, ac propterea continuis piratarum, ac infidelium invasionibus obnoxius, et sic exteri homines cum difficultate, seu non ita libenter ad contrahendum cum ejusmodi habitatoribus ad illam accedere velint. Cupiunt, etc. »

260. *Copula scienter habita si pro causa proponatur, quomodo exprimenda?* — Praxis rite proponendi causam n. 49, allegatam quæ est copula præhabita.

Hæc copula potest vel scienter, vel ignoranter inter impeditos haberi; item cum spe facilius obtinendi dispensationem, vel sine tali spe, quæ omnia, prout se habent, necessario sunt exprimenda juxta dicta n. 53.

38